

metſi Alſonſus antequam auxilia convenirent, illos, pa-
 goſque aliquot demiffiores in Padi ripa Venetiſque fini-
 bus male habuerit. At hoſtes iterum Verona egreſſi,
 multoſque vicos depopulati, interfectis prope incolis om-
 nibus, partem ſuorum, quos noſtri obviam progreſſi aut
 occiderant, aut captivos fecerant, amiſerunt. Tertio au-
 tem ob pabuli inopiam idem auſi, multo majore accepta
 clade, Alexio tamen Bua turmæ Epirotarum præfecto,
 ob equi laſſitudinem ab ipsis capto, ſe in oppidum rece-
 perunt. quibus in rebus omnibus imperatoris maxime ſtu-
 dium vigilantiaque extitit. Itaque febricula tentatus accer-
 ſitis Patavio medicis, tamen convaleſcere non potuit :
 creſcenteque vi morbi cum ſe brevi morituum cognosce-
 ret, adhibitis legatis exercitum Lucio Bononiendi commen-
 davit, atque ipſum & præfectos reliquos graviffimis aman-
 tiſſimiſque verbis monuit; *Ut ſuam fidem & benivolentiam*
reipublicæ præſtarent : quæ ſi perierit, virtus omnis Italo-
rum animorum, reſque ipſa militaris, quam adhuc quidem
ipſi uni ſuſtinuiſſent, una cum illa perierit. Quis enim,
inquit, vos alet, provehet, ad exercitus regendos vocabit,
hac terrarum parte in regum barbarorum poteſtatem reda-
cta ? Hæc atque his plura cum dixiſſet, paulo poſt mor-
 tem obiit apud Leonicanos ſeptem & ſexaginta annos na-
 tus : moleſtaque ea magnopere civitati exercituique mors
 fuit. cadaver ad urbem delatum funere ampliffimo & con-
 celebratiſſimo atrata civitas extulit. Imperatore mortuo,
 Janes Fregoſius Ligur ejus equitibus regendis præficitur :
 quibus tamen etiam vivo illo præeſſe conſueverat, Leonar-
 duſque Apulus ob virtutem, atque in rempublicam ſtu-
 dium ſtipendio a Senatu auctus eſt, duobuſque fratris ejus
 liberis penſiones annuæ dono datæ : eamque proſecto le-
 gem ſententiis omnibus Patres conſcripti probaverunt, ut
 non modo nulla rejecerit, ſed etiam ne una quidem, cui
 non liqueret, in oculis reſederit : quæ reſ pene pro mi-
 raculo eſt habita. Fuit quidem certe ſingulare ac peregre-
 gium omnium ordinum, totiuſque civitatis in Leonardum
 ſtudii atque benivolentiæ indicium. Ubalduſ deinde Gal-
 lorum

Nicolai Ur-
 ſini obitus,
 VII. kal.
 febr.